

nomina omnium hæredum, tunc testamentum corrumpit quoad institutionem respectu omnium, sicuti corrumpit, si deleatur nomen hæredis solius instituti, et tunc datur successio ab intestato, quia in tali casu merito est præsumendum, quod ipse voluerit decedere intestatus. *Communis*, cum doctoribus num. antecedenti allegatis, arg. l. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*; l. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstabant*, l. *Nostram* 3, cod. *De testamentis*, cum similibus.

(24. Deletis consulto nominibus omnium hæredum, nedum corrumpit testamentum quoad institutionem, sed probabilius corrumpit etiam quoad legata profana non deleta, ita ut non debeantur legatariis; sic cum pluribus aliis Cujacius, in l. *Proxime* 9, ff. *De his quæ in testamento delentur*, per textum in citat. l. *Proxime*, ibi: « Non potest ullum testamentum valere, quod hæredem non habet; » arg. l. *Ex testamento* 29, cod. *De fideicommissis*, ibi: « Ex testamento, quod jure non valet, nec fideicommissum quidem; » et faciunt dicta et adducta supra n. 20, 21.

(25. Alii tamen, ut Ludwell., part. 1, cap. 10, fol. 173; Castrensis, in cit. l. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*; Gilken., in cit. l. *Nostram* 30, cod. *De testamentis*, et, *ibidem*, Bruneman. cum aliis, quibus adhærere videtur Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 771, tenent contrarium, nempe, quod deletio nomine omnium hæredum, valet legata non deleta, arg. cit. leg. *Proxime* in fine, ubi rupto propter deletionem hæredis testamento, legatum deberi deciditur, quod nempe est tenendum in speciali casu quo, ut ibi libertas est legata; quamvis alioquin non sine rationabili fundamento supra allegati doctores dictam legis decisionem extendant ad quodlibet aliud legatum propter rationem universaliter ibi allegatam, nempe: « Sed in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est quam tutius. »

(26. Testamentum facto revocatur per posterius legitime conditum, quamvis hoc posterius non sortiatur suum effectum, ex quo hæres v. g. in illo institutus repudiavit hæreditatem, vel ante testatorem decesserit, et hujusmodi. *Communis*, per clarum textum in § *Posteriore quoque* 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*, et in l. *Testamentum* 1, ff. *De injusto, rupto, irritato facto testamento*. (27. Et idem etiam currit, quamvis in primo testamento hæres fuisset ex Asse institutus, in secundo autem in re certa. *Communis*, textu expresso in § *Sed et si* 3, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*. (28. Item etiamsi prius testamentum clausulam testamenti derogatoriam contineat, dummodo talis derogatoriæ clausulæ fiat mentio in testamento posteriori revocatorio juxta dicta et adducta supra n. 4.

(29. Ad hoc autem, ut testamentum prius revocetur per posterius, necesse est, quod posterius sit rite et legitime cum requisitis juris solemnitatibus factum; si enim ex de-

fectu alicujus solemnitatis posterius esset nullum, prius remaneret validum. *Communis*, arg. cit., § *Posteriore quoque* 2; institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*, et l. *Tunc autem* 2, ff. *De injusto, rupto*, etc.

(30. Vel si testamentum posterius non sit rite et legitime factum, necesse est, ad hoc ut rumpat prius, ut in ipso institutus sit, qui alias ab intestato succederet: « Tunc enim et posteriore non perfecto, superius rumpitur » textu expresso in cit. leg. *Tunc autem* 2, ff. *De injusto, rupto, irritato facto testamento*. Dummodo tamen posterius testamentum coram saltem quinque testibus fuerit factum, textu expresso in authent. *Hoc inter*, § 3, cod. *De testamentis*, ibi: « In qua voluntate quinque testium juratorum depositiones sufficiunt, quo non facto, valebit primum testamentum, licet in eo scripti videantur extranei. »

(31. Testamentum prius solemniter et legitime factum rumpitur per posterius privilegiatum, verb. gr. datum ad acta vel factum ad causas pias, aut tempore pestis, et hujusmodi. Sic comunior iurique conformior, ac usu recepta sententia cum Arpree, in § 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*; Salicet., in l. *Sancimus* 27, cod. *De testamentis*, n. 3; Covarruv., *De testamentis*, part. II, rubr. n. 2 et seq.; Carp., part. III, constit. 3, defin. 42; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 759, cum Mantica, et aliis. Et ratio clara est, quia, ut prius testamentum revocetur per posterius, sufficit quod posterius sit factum secundum dispositionem juris, arg. cit. leg. *Posteriore quoque* 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*, cit. leg. *Tunc autem* 2, ff. *De injusto, rupto*, etc., et cit. authent. *Hoc inter*, cod. *De testamentis*, atqui testamentum privilegiatum quamvis careat solemnitatibus ordinariis ad aliud non privilegiatum requisitis, est factum secundum veram dispositionem specialis juris per expressos textus in l. *Inter omnes* 26, cod. *Familiæ eriscundæ*; l. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis* pro testamentis inter liberos; leg. *Si milites* 15, cod. *De testamentis militis* pro testamentis militum, l. *Et ab antiquis* 31, cod. *De testamentis* pro testamentis rusticorum, l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*, pro testamentis principi oblati, et ad acta factis seu datis, cap. *Relatum* 11, *De testamentis*, pro testamentis ad pias causas, et sic de aliis similibus, ergo, etc. Tum quia testamentum privilegiatum habet eandem vim ac solemnem. Argum. leg. *Militibus* 1, et leg. *Divus Trajanus*, ff. *De testamentis militis*, imo majorem, arg. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*, ibi: « Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur. »

(32. Item testamentum prius ad acta, seu coram principe factum, revocari potest per aliud posterius sine actis seu in absentia actorum, ordinaria vel privilegiata solemnitate factum. *Communis*, per textum in cit. l. *Omnium* 19, verb. *Nec sane*, cod. *De*

testamentis, et faciunt rationes, et jura numero antecedenti adducta.

(33. Testamentum autem parentum inter liberos non aliter revocari potest, quam per aliud testamentum coram septem testibus legitime factum, quamvis prius coram duobus solum esset factum. *Communis* textu expresso in authent. *Hoc inter*, cod. *De testamentis*, et in novella 107, cap. 2.

(34. Testamentum nedum, ut ex hucusque dictis, potest revocari, seu mutari, sed etiam potest irritari, rumpi et destitui. *Communis*, tot. tit., institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*, § 3, n. 4, institut. *De capitis deminut.*, et l. 1, ff. eod., l. *In quantitate* 75, ff. *De falcidia*, l. *Posthumi* 8, § 4, ff. *De injusto, rupto, irritato facto testamento*, § 2, institut. *De adopt.*, novella 89, cap. 12, cum similibus.

(35. Testamentum irritari dicitur, quando non ex parte ipsius testamenti, sed ex parte testatoris accidens, defectus vel vitium aliquod emergit, vi cujus testamentum prius validum infirmatur et redditur nullum, § *Alio autem modo* 4, § *Hoc autem casu* 3, et § *Non tamen* 6, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*. Præcipue tamen irritatur testamentum, quando testator patitur capitis deminutionem, seu status mutationem: capitis enim deminutio est status mutatio, princip. institut. *De capitis deminutione*, ibi: « Est autem capitis deminutio prioris status mutatio, » leg. 1, ff. *De capite minutis*, ibi: « Capitis deminutio est status permutatio. » Et hæc capitis deminutio est triplex, scilicet maxima, quæ fit cum quis libertatem amittit, et servus efficitur, § *Maxima* 1, institut. *De capitis deminutione*; minor seu media, quæ fit cum quis civitatem amittit, sed adhuc libertatem retinet, § *Minor seu media* 2, institut. eod. Minima, quæ fit, cum quis prius sui juris, alterius juri subicitur, sed adhuc retinet civitatem et libertatem, ut fit si testator alteri ad regendum se tradit; § *Minima* 3, institut. eod., et totum id habetur expresse in l. *Capitis deminutionis* 11, ff. *De capite minutis*, ibi: « Capitis deminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima. Tria enim sunt, quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur cum omnia hæc amittimus, hoc est libertatem, civitatem et familiam, maximam esse capitis deminutionem. Cum vero amittimus civitatem, et libertatem retinemus, mediam esse capitis deminutionem. Cum et libertas et civitas retinetur, familia tantum mutatur, minimam esse capitis deminutionem constat. » Qualibet autem ex dictis tribus capitis deminutionibus irritatur testamentum. § *Alio autem modo* 4, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*, l. *Si quis* 6, § 5 et 6, ff. *De injusto, rupto, irritato facto testamento*, l. *Conficiuntur* 8, § 3, ff. *De jure codicillos*, cum similibus.

(36. Testamentum rumpi dicitur, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus vitiatu textu expresso in § *Rumpitur* 1, institut. *Quibus modis testamenta*

infirmentur. Tripliciter autem de jure rumpitur testamentum: primo scilicet, si post conditum testamentum nascatur suus hæres legitimus, proles nempe legitima; leg. *Posthumi* 3, § 4, ff. *De injusto, rupto*, etc., dummodo tamen vivus et verus homo in monstrum vel prodigium non declinans veniat in lucem, nam si vel mortuus editus sit, vel vivus quidem, sed declinans in monstrum vel prodigium, per ipsum non rumpitur testamentum, sicuti per ipsum rumpitur, si vivus perfecte natus sit, licet statim moriatur, textu expresso in leg. *Quod certum* 3, cod. *De posthumis hæredibus instituendis*. Secundo, rumpitur si post testamentum conditum aliquis testatori suus hæres efficiatur, ut si filius naturalis post testamentum legitimetur; novella 80, c. 12, vel si quis in filium a testatore adoptetur vel adrogetur, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*. Tertio, rumpitur per revocationem et mutationem, quæ pluribus potest fieri modis juxta dicta et jura allegata supra a num. 1 ad 33.

(37. Testamentum destitui dicitur, quando nullus ex eo hæres existit, arg. leg. *In quantitate* 73, ff. ad leg. *Falcidiam*, ibi in principio: « Ne destituto testamento nihil consequatur, et § *Posteriore quoque* 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmantur*. Et id tripliciter contingere potest. Primo, si institutus hæres noluerit esse hæres. Secundo, si institutus hæres, aut vivo testatore, aut post mortem ejus, antequam hæreditatem adiret, decesserit. Tertio, si conditio sub qua hæres institutus est, defecta sit. In his enim casibus paterfamilias intestatus moritur. Sic expresse habetur in cit. § *Posteriore quoque*, ubi ratio subjungitur: « Nam et prius testamentum non valet ruptum a posteriore, et posterius æque nullas habet vires, cum ex eo nemo hæres existerit. »

(38. Revocari possunt non solum testamenta, sed etiam aliæ ultimæ voluntates, videlicet legata, codicilli et donationes mortis causa. *Communis*, per text. in leg. *Si quis* 22, ff. *De legatis* 3, in leg. *Quod si* 4, in l. *Translatio* 6, ff. *De adimendis legatis*, cum similibus.

(39. Et quidem legata revocari possunt facto, verbis et signis intra et extra testamentum, tacite et expresse: dummodo concurrant eadem solemnitates, quæ ad eorum confectionem requiruntur, videlicet quinque testes. *Communis*, per claros textus in toto tit. ff. *De adimendis legatis*, l. *Nulu* 21, ff. *De legatis* 6, et § unic. institut. *De ademptione legatorum*, et quod requirantur et sufficiant quinque testes, habetur in l. *Si quis* 8, § 4, cod. *De codicillis*; omnis enim res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur textu expresso in cap. *Omnis res* 1, *De regul. juris* in antiquis.

(40. Facto revocantur legata, quando ipsa serio ac consulto delentur, cancellantur aut calamo inducuntur. *Communis*, per expressos textus in l. *Quæ in testamento* 1, et l. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento de-*

lentur. Sic etiam facto revocantur legata, quando totum testamentum per legitimam confectionem alterius, aut per totalem cancellationem vel destructionem, aut revocationem verbalem rumpitur aut revocatur. *Communis. arg. § Posteriore quoque 2, instit. Quibus modis testamenta infirmantur, l. Quae in testamento 1, et leg. Proxime 3, ff. De his quae in testamento delentur, l. Posteaquam 4, § 8, ff. Si tabulas testamenti nullae exstabant, l. Nostram provisionem 30, cod. De testamentis, cum similibus. Rupto enim seu invalido existente testamento, legata profana non debentur. l. Sapissime 1, ff. De jure codicillorum, l. Ex testamento 29, cod. De fideicommissis.*

(41. Confessione tamen posterioris legati vel codicilli legatum, aut codicillus antecedens non revocatur, nisi in quantum eidem contrarius existit. *Communis*, textu expresso in leg. *Cum proponatis 8, cod. De codicillis*. Vide supra art. 4, n. 16, ubi assignatur circa hoc ratio disparitatis inter codicillum seu legatum, et testamentum.

(42. Legata sola nuda voluntate, signis, nutu vel litteris etiam ad interrogationem alterius manifestata revocari posse, clare habetur in leg. *Si quis 3, § 11, ff. De adimendis legatis*. Dummodo tamen legans loqui possit, nisi superveniens morbus ei impediat, textu expresso in l. *Nutu etiam 21, ff. De legatis 3, ibi*: « Nutu etiam relinquatur fideicommissum, dummodo is nutu relinquat, qui et loqui potest, nisi superveniens morbus ei impedimento sit. » Propter quae ultima verba probabilius etiam infirmus morti proximus, et non amplius loqui potens solo nutu ad interrogationem alterius legata facere et revocare potest. Covarruvias, in cap. *Cum tibi 13, n. 3, De testamentis*; Molina, disp. 428, n. 6, et disput. 212, n. 1, et multi alii; Glossa, in leg. *Si quis 4, verb. Vocabula, ff. De legatis 3, et l. Cum proponebatur 64, ff. De legatis 2*. Reiffenstuel tamen, *loc. cit.*, n. 766, quamvis dicat hanc sententiam non esse improbabilem, sequitur tamen ut probabilem opinionem contrariam.

(43. Tacite revocantur, vel potius revocata ipso jure censentur legata, si testator vivus rem legatam alteri donaverit, textu expresso in leg. *Rem legatam 18, ff. De adimendis legatis*. Etiam si talis donatio fuerit invalida, textu claro in l. *Legatum 24, ff. De adimendis legatis*.

(44. Item tacite ipso jure revocata censentur legata, si testator nulla urgente necessitate, sed ex mera voluntate titulo oneroso illa alienet, vendat seu commutet. *Argum. cit. leg. Rem legatam; Glossa, in leg. Lucius 22, verb. Reliqui, ff. De legatis; Glossa, in leg. Qui 3, verb. Dedit, cod. De legatis*. Per talem enim mere voluntariam alienationem rei legatæ clare patet quod testator mutaverit circa id suam voluntatem, et voluerit revocare legatum. Unde nec reviviscit legatum per donationem vel alienationem revocatum, quamvis illud postea testator emptione, vel alia ratione iterum recuperet.

Leg. *Cum servus 15, ff. De adimendis legatis, leg. Qui res 98, § 8, ff. De solutionibus*. (45. Si vero rem legatam testator ex necessitate urgente alienaverit seu hypothecaverit, non censetur revocatum legatum, nisi hæres sufficienter probet intentionem, et voluntatem testatoris fuisse tali alienatione, seu oppignoratione legatum adimere seu revocare. § *Si rem suam 12, institut. De legatis, leg. Fideicommissa 11, § Si rem 12, ff. De legatis 3; Glossa 1, in cit. § Si rem suam; institut. De legatis; Glossa, in leg. Lucius 22, verbo Reliqui, ff. De legatis 2*.

* De imperfectis alienationibus, quales sunt fiducia et pignus tradit Paulus, *Recept. senten.*, lib. III, tit. 6, § 16. Quoad alias alienationes insuper videndus est textus in l. 18, ff. *De adimend. vel transfer. legat*.

Aliam hæc regula de necessariis alienationibus patitur exceptionem, scilicet si ea res relicta fuerit, in qua magis pretii quantitas, quam corpus spectetur, et pretium in corpus patrimonii testatoris versum sit. Sed ut hæc intelligatur exceptio, legendus omnino Papinianus, ut Ulpianus in l. 23, ff. *De adim. vel transfer. legat.*, in l. 11, § 13, ff. *De legat. 3*. Quod si testator pretium legatario donaverit, tunc procul dubio extinguitur legatum l. 22, ff. *De legat. 2*.

(46. Colligitur pariter voluntas in testatore adimendæ hæreditatis vel legati ex gravibus inimicitias inter testatorem et hæredem, et ex conviciis, quibus defunctus hæredem impetit l. 4, l. 13, l. 22, l. 29, l. 31, § 2, ff. *De adimen. vel transfer. legat*.

(47. Similiter ademptum præsumitur legatum, si illud testator induxerit l. 16, ff. eod. Idem dicendum erit, si codicillis alicui ascribatur pars ejus, quod ei testamentum relictum erat, hinc colligitur superflui adimendi voluntas, ut in specie l. 20, ff. *De instruct. vel instrum. leg.* (48. Simili ratione præsumitur ademptum sortis legatum debitori relictum, si postea codicillis remittatur ei hujus sortis usura quoad vivet l. 27, § 5, ff. *De libertat. leg.* (49. Eruiat denique voluntas adimendi legati vel fideicommissi ex eo quod defunctus cessare fecerit causam, propter quam videbatur reliquisse. Hujus conjecturæ habes exempla in l. 25, et in l. 30, § 2, *De adimendis vel transfer. legat*.

(50. Item tacite ipso jure censetur revocatum legatum, si capitales et graves inimicitias oriantur inter testatorem et legatarium, non autem si solum leves; textu expresso in leg. *Si quis 3, § 11, ff. De adimendis legatis, leg. Si inimicitia 9, ff. De his quæ ut indignis*. Et idem dicendum est si legatarius testatori verbo aut facto gravem irrogat injuriam aut gravem accusationem vel damnum attentet, textu expresso in citat. leg. *Si inimicitia 9, ff. De his quæ ut indignis, et leg. Filio 31, § 2, ff. De adimendis legatis*.

(51. Si vero ante mortem in amicitiam redeant, reviviscit iterum legatum, textu expresso in l. *Quid si 4, De adimendis legatis*.

(52. Item ipso jure revocatum, vel potius exspiratum censetur legatum, si legatarius ante testatorem, vel ante completam conditionem moriatur, aut si hæreditas non adeatur, § *Si peculium 20, institut. De legatis, § Posteriore quoque 2, institut. Quibus modis testamenta infirmantur, leg. Si habitatio 9, ff. Quando dies legati cedat, leg. In quantitate 73, ff. Ad legem Falcidiam, c. Raynaldus 18, De testamentis, cum similibus*.

(53. Quoad revocationem codicillorum, ea proportionaliter dicenda sunt, quæ de legatis, cum legata extra testamentum non nisi per codicillos fiant; de revocatione autem donationis mortis causa. *Vide verb. DONATIO, art. 3, a n. 28 ad 31*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(54. Potissimum prius testamentum rumpitur per posterius perfectum. (55. De eo vero sæpissime disputari in foro solet, an posterius testamentum rumpat prius testamentum, si priori testamento adjecta sit clausula derogatoria, illa tamen haud revocata fuit in posteriori testamento. Affirmare videntur Carpov. *Jurisprud. forens.*, part. III, constit. 5, definit. 19, n. 5; Ludwell., *De ultim. volunt.*, cap. 1, thes. 4. Adde Bachov., ad instit. *Quot mod. testament. infirmetur*. At negant Bruneman, ad l. 22, fer.

TESTIMONIALES ET COMMENDATITIÆ LITTERÆ, UBI ETIAM DE TRANSITU DE UNA AD ALIAM DIOECESIM.

SUMMARIUM.

1. Litteræ testimoniales et commendatitiæ quæ? ad num. 6. — 7. An episcopus litteras commendatitiæ sacerdotibus et clericis proficisci volentibus e

NOVUS ARTICULUS EDITORUM CASINENSIIUM.

(1. Litteræ commendatitiæ et testimoniales nonnihil habent discriminis, siquidem hæc fidem faciunt de susceptis ordinibus, et carentia impedimenti canonici, quod clericos a celebratione divinarum removeat; non vero de probitate vitæ et morum integritate. Econtra commendatitiæ litteræ sunt, quæ clericis peregrinantibus conceduntur, sine quibus in aliena diocesi non sunt admittendi ad sacra peragenda. Cap. *Extraneo*, dist. 71, cap. *Tua ex*, De cler. peregr., et *Trident.*, sess. XXIII, c. 16, *De reformat.* (99). Quæque non tantum de legitima ordinatione et carentia impedimenti celebrationi obstantis; sed etiam de moribus et doctrina testimonium locorum ordinariis præbent. Unde litteræ commendatitiæ per se plus sane important, quam simpliciter testimoniales.

(2. Quæritur quinam veniant nomine peregrini? Resp. ex mente ejusdem Tridentini intelliguntur ii qui vagi et ignoti sunt: « Nam ii, qui noti sunt, et fere etiam qui ex vicinis diocesisibus adveniunt, ad sacri-

(99) Hæc porro apud *Trident.*, cit. sess. XXIII, c. 16: « Nullus clericus peregrinus absque commendatitiis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur. »

per tot., ff. *De legat. 3; Vult., Consil. Margurg.*, vol. II, consil. 21, n. 23; Hilliger., in suo *Donell. epucleat.*, lib. VIII, c. 4, lit. E; Sana. *Decis. Frisc.*, lib. IV, tit. 1, decis. 10.

(56. Alii varie distinguere hic solent, ut videre est apud Mantic., *De conjectur. ultim. volunt.*, lib. II, tit. 3. Confer etiam Coccei, *Dissert. de claus. testament.*, cap. 2. Recte Strick., in *Usu moder. Pandect.*, lib. XXVIII, tit. 3, § 9: « Scilicet, ait, hic non tamen quæstio juris quam facti vertitur, quid testator re vera voluerit, et inde ex circumstantiis judicandum, an ea posterior voluntas suspicione quadam laboret, necne; de jure sane non præcise requiritur, ut expresse revocatio prioris fiat, nec hoc probari potest ex l. 22, ff. *De legat. 3*, ubi agitur de casu si quis in testamento sibi legem præscripsit, et in eodem in fine ab ea recedere velit, quod non aliter factum esse dici possit, quam si expresserit se prioris voluntatis pœnitere. At hic quæstio est de testamento posteriori diverso tempore condito, ubi ex ipsa nova ordinatione mutatio voluntatis inducitur. » Consentit etiam Philipp., in *Usu practic. instit.*, lib. II, eclog. 66; Rot., in *Barchinonen. Hæreditatis 26 Januarii 1733*, fer. per tot., *cor. eminent. Crescentio inter impressas decis. 203, quæ in materia hac magistralis est*.

diocesi nullum residentiale beneficium, etc., possidentibus denegare possit? ad num. 15. — 16. Quid requiritur pro transitu ab una in aliam diocesis, seu ut quis efficiatur subditus in aliena diocesi?

ficium missæ celebrandum passim solent admitti, quin hujusmodi probationes, aut commendatitiæ vel testimoniales litteræ ab ipsis exhibeantur aut exigantur, ut docet praxis quotidiana, et observat Zipæus in analysi. » Ita Schmalzgrueber, ad tit. *De cleric. peregr.*, n. 3.

(3. Hic nota quod « si commendatitiæ litteras clericus peregrinus non haberet, nec fidem fecerit, nullo jure est suspensus, sed potest, secluso scandalo, celebrare, prout resolvunt Navar... Henriq..., Reginald... Sayr..., Sanchez, *Opusc. moral.*, l. VII, c. 1, dub. 47, n. 2, ubi n. 3 resolvit talem clericum, si fuerit notus, non indigere commendatitiis sui episcopi, prout nec etiam indigere ait, si litteræ dimissoriæ ad presbyteratum suscipiendum fuerunt paulo ante datæ; quia episcopus approbans ad presbyteratum, satis videtur approbare mores, etc., secus si magnum intervallum interfuit, quia eæ dimissoriæ non approbant mores præsentis, ut si per decem annos antea fuissent datæ (100). » Hæc habet Barbosa, *De offic. et*

(100) Hæc porro apud Sanchez, *Consil. moral.*, cit. lib. VII, cap. 1, dub. 47, n. 3 et 4: « Tertio dico, quod si clericus est notus, non indiget litteris commendatitiis sui episcopi... Item non indiget illis, si litteræ dimissoriæ ad presbyteratum